

Kaspar Ebel Hieronymus Sievert


## **Dissertatio Philosophica, De Animae Humanae Simplicitate**

Marpurgi: Hampelius, 1644

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746576897>

Druck Freier  Zugang





95

52<sup>b</sup>.6.



Ja 1092 (95.)

Tomo hoc XLVII. continentur:

1. Dithemi Icarus Academicus Norimb 1643.
2. Acclamatione preemptrice Academiae Genesie cum eo  
descenderet idem Ditherrus.
3. Orationes inauourales Academiae Ludunensis Patavoru.  
Polyadori. Walai. Anno. 1620.
4. Thysii.
5. Hommi.
6. Sinapij.
8. Ravi Pancognia Orientalib; linguis Trajecti ditta. 1643.
9. Hier. Welleri Consilium de studio Theol. Rostoch 1617.
10. Simile D. Joh. Quistorpii Rostoch. 1643.
11. Iusti Jone oratio de eodem argumento. ibid. 1644.
12. Dan. Heimfii. Homulia in Natalem Domini. Lugd. 1613.
13. —. In Christi Passionem. ibid. eod.
14. Quistorpij de Vinbu; Liberi Arbitrii coll. loc. III, 4. s. 1645.
15. Samhauen Doming gloria crucifixus. 1633.
16. —. De Melchisedeco e Gen. XII. 1634.
17. Jacobus Martini de Causa Peccati. 1639.
18. —. Analysis Capituli Vad. Romanor. eodem.
19. Dorschauc De tribu testib; in Terra. 1 Jo. V, 8. 1635.
20. —. De Peccato originali. eod.
21. —. Synopsis Theol. Zachariana.
22. —. ad Hebr. XIII, 8. 1643.
23. —. ad Act. IV, 27. 28. 1646.

24. D. Mentzerus de Ecclesia. 1608.  
 25. D. Hamelkenig de Persona Christi. 1645.  
 26. D. Cothmannig de Predestinatione. Rostoch. 1692.  
 27. ———. Pars II. ———  
 28. Jo. Croig de Orthodoxa Fidei Delecta Mamp. 1619.  
 29. ———. Vano. per Europā Doctrina cum script. s. conformitas.  
 30. ———. De Apostolici nominis causis.  
 31. ———. De Apostolica Ecclesiarū Vrang. Doctrina.  
 32. ———. De Catholicismo Eccl. Evangelicae.  
 33. ———. De Antiquitate Relig. Evangelicae.  
 34. Gocklenii Theses Apologeticae contra Finckium. 1606.  
 35. ———. De Analogia seu proportione.  
 36. Perzelius de S. Coena Stempforti 1602.  
 37. Tossani Theses contra Evangelicos. ibid. 1605.  
 38. Ravenspengeri Samson redivivus. ibid. 1619.  
 39. Heyderi Ruae quæstionum Theol. Maynurgi. 1611.  
 40. Eglani de Generaliōe Christi. ibid. 1608.  
 41. ———. De Fide justificante. ibid. 1617.  
 42. ———. De Peccato in Spiritum S. cod. 44 β. Croig de Pecc. de Baptismo.  
 43. ———. De Predestinatione. ibid. 419. Doctrina  
 44. ———. ~~Compensationem pro peccatis~~ Doctrina  
 45. Conradig Vorshig de Idolatria Pontificiorum in cultu Iuriani.  
 46. ———. Itie Stempfort. 1608.  
 47. ———. De Idolatria eorum in cultu sanctorum  
 48. ———. In cultu Imaginum Pontificiorum

49. P. Petri Roeshii Soc. Jes. Disputatio Paradisiaca
50. Corradi Vossii Oratio Apologetica in  
pleno Confessu Ordinum Hollandiae et Westphaliae  
Gita. Hartmanni. 1612.
51. Ebelius de Generatione et Corruptione Hom.  
Grosae. 1646.
52. — De Anima Hum. Simplicitate. 1644.
53. — Deinde IV. Conclusionum metaphysicarum. 1646.

1. 8.  
2. 3.  
3. 11.  
4. 24.  
5. 29.  
6. 2.  
7. 2.  
8. 38.  
9. 24.  
10. 39.  
11. 4.  
12. 4.  
13. 4.  
14. 4.  
15. 4.  
16. 4.  
17. 4.  
18. 4.  
19. 4.  
20. 4.  
21. 4.  
22. 4.  
23. 4.  
24. 4.  
25. 4.  
26. 4.  
27. 4.  
28. 4.  
29. 4.  
30. 4.  
31. 4.  
32. 4.  
33. 4.  
34. 4.  
35. 4.  
36. 4.  
37. 4.  
38. 4.  
39. 4.  
40. 4.  
41. 4.  
42. 4.  
43. 4.  
44. 4.  
45. 4.  
46. 4.  
47. 4.  
48. 4.  
49. 4.  
50. 4.

a - a	A - D
16	A - C
35	A - C
30	A - C
A - C	A - C
20	65
40	A - C
A - B	48
-	A - C
A - B	16
35	A - C
B - 36	A - C
A - 00	A - C
A - C	A - C
A - 00	A - C
A - B	A - B
A - D	A - K
A - 00	51
40	24
128	24
72	20
A - 00	
A - D	
14	
16	
32	
A - G B	
A - C	
A - 00	
A - C	
A - C	
B - G 1	
A - D	

DISSERTATIO PHILOSOPHICA;

De

ANIMÆ HUMANÆ  
SIMPLICITATE.

Quam

DEO COELITUS BENEDICENTE,

PRÆSIDE

M. CASPARO EBELIO,  
LOGICES AC METAPHYSICES

in Inclÿta MARPURGENSI ACADEMIA

Profess. Ordinario. Dn. Præceptore

& Promotore enixè vene-  
rando.

PRO SUMMIS PHILOSOPHIÆ HONORIBUS  
AC PRIVILEGIIS CONSEQUENDIS,

Placidè ventilandam proponit

HIERONYMUS SIVERT,

MAGDEBURGENSIS.

*Ad diem 23. Novembris.*



*Marpurgi Cattorum,*

Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPELII,  
Academ. Typographi.

M. DC. XLIV.


52.

49

50.

49.







## THESIS PRIMA.



Quid anima sit hominis, inter Philosophos, quibusdam ad accidentium, aliis ad substantiarum genus eandem referentibus, quæstio valde controversa semper fuit. Galenus, quamvis essentiam animæ, abstrusitatem ejus animo perpendens, non sibi tantum ignotam, sed & definire eam haud sapientis esse, aliquoties confessus fuerit: At tamen in libro, qui inscribitur: *Quod animi mores sequantur temperamentum corporis*, aliisq; in locis, illam esse *in mixtura* humorum, ex 4. qualitarum coalitu, earundemq; concinnâ ac legitima contemperatione concretam asserere, & ita accidentibus ipsam annumerare haud dubitavit.

2. Verum Galeni hæc, ut & aliorum, qui animam accidens quoddam esse putarunt, à plerisque tum priscorum, tum neotericorum rejicitur, qui, licet hostiliter de illâ inter se digradientur, atq; de eadem innumeras ac discrepantes alant opiniones, in hoc tamen, animam non in accidentium, sed substantiarum classe collocandam esse, *ὁμοψύχως* conveniunt. Cùm enim sit principium ipsius corporis viventis, & causa, unde omnes hominis operationes tam vitales, quàm animales fluunt; Hæ autem longè omnium præstantissimæ sint ac nobilissimæ, quæ ab accidente proficisci nequeant, *ὁμοψύχως* seu substantiam eam esse verè & necessariò concluditur.

3. Cæterum, cum omnis substantia vel sit spiritualis s. incorporea, vel materiata s. corporea, qualis anima sit disceptatur? Antiquorum nonnulli, ut apud scriptores passim videre est, physicam s. elementarem, per quantitatem extendi aptam, ipsi attribuere mate-

A 2

riam;

50

4  
riam: Quæ opinio, præterquam quod à plurimis abundè convulsa  
fit, cum ipsis authoribus jam sepulta jacet. Alii, negantes animam  
esse formatam tantùm, & corporis omnis expertem, ipsam materiã  
subtili, tenui ac spiritali constare contendunt. Quæ heterodoxa  
opinio, cum multis, moderno etiã tempore, arrideat, rationes  
quasdam, quibus illius falsitas in lucem producat, animæ autem  
compositio & simplicitas demonstreretur, in medium afferemus.

4. Primam desumimus ab ipsarum sacrarum literarum gra-  
vitate, quæ sæpissimè ut Psal. 45. v. 4. Eccl. 12. 7. 1. Cor. 2. 11. Rom. 8.  
v. 16. animam spiritum appellat. Et ipse Christus efflaturus animam  
suam: *In manus tuas, inquit, commendo spiritum meum*, Luc. 23.  
Conf. Act. 7. v. 59. In quibus, aliisq; de animã humanã loquenti-  
bus dictis, vocabulum Spiritus non in latã significatione sumitur, in  
quã etiã rem corpoream denotat; sed in strictã, in quã corpori  
scilicet contradistinguitur & opponitur, uti ex Luc. 24. 39. apparet.  
Corporea igitur anima esse nequit (aliàs Spiritus prædicationem  
corporis includeret, contra oppositorum naturam, quorum unum  
non dicit, sed negat alterum, & una, eademq; substantia differentiã-  
rum ac proprietatum essentialium contrariarum capax esset, quod  
absolum) sed tamdiu est ac manet incorporea, quam diu manet spiri-  
tus, tamq; citò definit esse spiritus, quam citò incipit fieri corpus.

5. Secundò, si animæ dignitatem & excellentiam accuratiùs  
perpendimus, non possumus non fateri, eandem omnis materiæ  
prorsus esse exortem. Est enim creata ad imaginem & similitudi-  
nem ipsius Dei, unde Aristoteles, *mentem esse divinam quippiam, et  
Deo maximè cognatum dicit*, l. 10. Eth. 6. 1. & 8. *hominumq; genus aut  
solum ex omnibus animalibus nobis notis divinitatis esse particeps, aut  
omnium maximè*, l. 2. de part. anim. 6. 10. Quapropter, cum Deus sit  
ens simplicissimum, omnis corporeis lineamentis carens, reliquum  
est, & animam, quæ ipsi Deo assimilatur, substantiam esse simplicem  
& incorpoream.

6. Tertiam rationem subministrat operationum animæ na-  
tura & proprietas, quæ eandem substantiam immaterialem s. spiri-  
tum, non materialem s. corpoream, certò & infallibiliter arguunt.  
Operatur enim anima modo suprã omnem corporis & materiæ na-  
turam longè elevato, sicuti tum ex ipsarum, in se consideratarum,  
operatio-

operationum, tūm ipsius objecti, circa quod versatur, nobilitate idipsum evidenter claret. Dividit enim anima, componit, alia ex aliis deducit, multa subtiliter invenit, honesta à turpibus discernit, cœlestia intuetur, futura meditat, abditâ rimatur, universalia plura summâ cum celeritate comprehendit, semetipsam, angelos & infinitum Deum intelligit, quæ omnia corporalis principii terminos longissimè excedunt & transiliunt, neq; cum nulla res ultra suam naturam agat, sed, ut est in essendo, sic etiam sit in operando, ab animâ, si corporeâ mole compacta esset, ullo modo præstari possent. Ideo præclare Levinus Lemnius: *Quod si quis, inquit, hujus divini muneris vires experiri, ejusq; excellentiam spectandam sibi exhiberi velit, in se ipse descendat, suamq; mentem in consilium adhibeat, ac sedulo excutiat, profecto inveniet eximias, amplissimasq; dotes, atq; egregia ornamenta, quibus cujusq; ætas affatim est instructa, rationem, intelligentiam, judicium, delectationemq; rerum, ingenii agilitatem, memoriam, cum pleraq; alia, quæ evidenter evincunt præstantiorem esse animam, quam ut corporeâ censeri debeat.* In occultis Nat. mirac. l. 1. c. 11.

7. Quartam rationem nonnullarum ex adversâ opinione fluentium sequelarum absurditas suppeditat. Si n. anima corporea esset, etiam quanta, longa, lata, profunda, divisibilis, tangibilis, visibilis esset, nutritionemq; augmentum & diminutionem admitteret. Hæc enim *παθητικά* corporis formalia & essentialia, quæ animæ sine ingenti absurdo attribui nequeunt. Quanta enim esse non potest, cum quantitas omnis præsupponat materiam, ex quâ emanat, ejusq; est proprietatis ipsi inherens per se modo secundo, ut homini risibilitas. Tabla. l. 1. de mat. prim. c. 9. Ast anima prorsus est *ἀσώματη*, nihil quicquam de quatuor qualitibus participans, non calida, vel frigida, non sicca vel humida, non magna aut parva, neq; longa, lata aut profunda, sed simplex est, habens essentiam *ἐν αὐτῇ* consistentem, & omnem, quod *διωρασιὰς* consequens, humanorum sensuum aciem fugit.

8. Tandem anima, si corporea esset, potentiam includeret, quæ formam, à quâ auctetur, necessariò requirit. Positâ hac formâ in animâ, ipsa non cum corpore, sed per se speciem perfectam atq; integram constitueret, & ita *πῶς* & substantia completa esset, quod manifestè falsum. Præterea formam & materiam anima si haberet, forma illa etiam aut eadem haberet, aut, si processum in infinitum

50.

præcavere vellemus, danda esset quædam forma, istius compositionis expertus. Si datur, quâ ratione id de animâ humanâ, formâ illâ perfectissimâ negari possit, non perspicio.

9. Rationes plures, cum hæc pro animæ simplicitate sufficere possint, proferte non necessum scribentis: *Mens omnino est soluta & libera, nihil admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, aut duplex, quod ad materia rationem attinet, in se habens, non modò, ut materiam nullam sui partem agnoscat, sed ut ne tanquam forma aliqua sit, ut materia in hærens, quoniam rerum corporalium formæ ita tantum sunt, affecte lib. 1. Tusc. quæst. Cum simplex animi natura sit, neque habeat quicquam admixtum dispar sui, & dissimile non posse eius dividi consistat. Id: lib. de senect.*

10. Cum igitur animam esse immaterialem, & ex Scripturæ Sacræ aliorumq; testimoniis, & ipsius animæ naturâ, & proprietatibus constet, liquidum evadit, quid de his sentiendum, qui etsi animam creaturam planè spiritualement, omnisq; compositionis Physicæ expertem esse fatentur, eandem tamen corpoream, non per se ipsam quidem sed *καθ' ἀνάγκην*, dici posse autumant.

11. Greg. l. 2. moral. c. 2. animam, licet corpore careat, & spiritus sit, in comparatione ad Deum, spiritum illum purissimum, nullisq; terminis circumscriptum, à cuius puritate & immaterialitate longè absit, corpoream vocari posse existimat, cui Damasc. l. 2. de orthodox. fide c. 3. assentitur: *Deus, inquit, ut longè est supra omne corpus, sic & super quodvis incorporeum, omne ad Deum collatum crassum & materiale comperitur, solus Deus verè immaterialis & incorporeus est.* Ruviol. l. 2. de anima q. 7. illam corpoream appellari posse putat, *NON ut quod, sed ut quò, propterea, quod ab intrinseco habeat ordinem ad materiam, cui tribuat esse substantiale corporeum.* Et lib. 3. tract. de intell. poss. q. 7. *Anima, inquit, prout informans corpus, habet modum essendi corporeum.*

12. Verùm sententiam hanc recipere non possumus. Nam quod Gregorium & Damascenum atinet, si illi *καθ' ἀνάγκην* habitâ ad Deum, spiritum illum simplicissimum, animâ *σωματικὴν* vocandam arbitrantur, quamvis ipsa nec corpus, nec quicquam corporei suæ substantiæ immixtum habeat, sicut & tepidum, respectu calidi frigidum, licet frigidum

7  
frigidum in se non sit, vocare solemus, non quidem in animæ simplici-  
tatem inpingunt, sed corpus tamen, quod propriè & in suâ genuinâ  
significatione sumptum, semper substantiam, extensionis quantita-  
tivæ capacem, notat, ultra suam naturam ad omnia creata, tam coele-  
stia, quâ sublunaria, ad quæ non debebant, extendunt. Cum enim om-  
ne dici, ut Scholastici loquuntur, requirat in esse, & omnis prædi-  
candi modus ipsum essendi modum sequatur, spiritus, cum *ἀσώματος*  
& in se incorporei sint, corporeos vocare non debemus; Sin res-  
pectu habito ad Deum, animam non planè incorporeâ sed sæpe cor-  
poreâ quodammodo concretam esse putant, sententiam illorum, ob  
antea allata argumenta, tanquam à vero remotam, repudiamus.

13. Nec cum Ruvio facere possumus. Quamvis enim is ani-  
mæ incorporeitatem non neget; Attamen si penitius ipsum inspici-  
mus, dummodo, ut loquitur, sic sentiat, Physicè quodammodo ani-  
mam componere videtur. Nam si ex illo quæras: Anne anima tam-  
purè spiritualis uti Angelus? Negat illud ex eo, quod uniatur cor-  
pori, cumq; illo totum constituat compositum: Propterea eam non  
ad genus spiritualis substantiæ, sed corporeæ pertinere perhibet, &  
diversis in locis animam corpoream nominat. Sed fallitur.

14. Primò enim negans animam in se corpoream, negans  
etiam ipsam purè spirituales; inter *τὸ σωματικὸν ἢ πνευματικὸν* medium  
quoddam fingere conatur, quod partim corporeum, partim incor-  
poreum, cum tamen illud huic, & hoc illi ex suâ intrinsecâ ratione  
aliquid è directo oppositum dicat, atq; ita, tanquam immediatè op-  
posita, nullum tertium admittant. 2. Omnis prædicatio, ut antea  
dictum, in existentiam requirit. Nam quicquid de re aliquâ dicitur,  
idei competat, necessum est. At *τὸ* corporeum animæ nullo modo  
competit. Nam aut illi cōspeteret *καθ' ἑαυτὴν* & secundum propriam  
entitatem, aut *κρίνωσιν* beneficio. Prius ipse Ruvio negat. Posterius  
affirmare non audeat. Corpus enim, quod est *ἄνθρωπος*, animæ, quæ  
*ἐν ἀλέξει* est; imperfectiones suas communicare nequit. Ergò, &c.  
3. Eadem ratione reliqua omnia *ἰδιώματα* corporis essentialia, ut,  
esse grave, quantum, visibile, tangibile animæ attribui possent, cum  
corpus tali modo affectum, a cœtu & informet. 4. Si anima est cor-  
porea, ut Quo sequitur illam principium & immediatum subjectum  
corporeitatis esse, & respectu illius hominem vocari corporeum.  
Nam

Nam principium ut *quo* dicitur, in quod adjunctum recipitur, & quo mediante aliquid toti competit, quapropter à Metaphysicis subjectum informationis vocatur. Sic totus homo est principium intellectiōnis, ut *quod*, anima ut *quo*, quia hac mediante homo intelligit. Eodem modo totus homo vulneratus dicitur, ut *quo* d, solum autem corpus illius vulnerationis principium *quo* est. 5. Nec valet consequentia. Anima corpus informat. E. habet modum essendi corpoream. Ipsa enim ita corpori non est immersa, ac si ab illo in suo esse necessario dependeat, atque ad suam substantiam corpore indigeat; sed est forma à corpore omnino independens, ab eo separabilis, & per se subsistere potens. Hinc præclare Meisnerus: *Anima rationalis, inquit, corporea non est, adeo ut non tantum dicatur æquum per se, quia & c. ejus simplex, sed ne per accidens quidem ratione corporis à corporeum & materiale de eâ predicari permittant sapientes.* Part. 1. Phil. Sob. l. 4. c. 8. q. 1. Animam igitur esse substantiâ simplicem, æque spiritualem in suâ essentiâ ac angelicam, & ab omni materiæ concreione liberam contra Ruvionem concludimus.

15. Ex his omnibus, quæ de animæ essentiâ, essentiâq; ejus simplicitate diximus, manifestum fit, quantoperè omnes ferè, qui de animâ scripserunt, tam veteres, quàm recentiores in hac doctrinâ hallucinantur. Illorum namq; scripta, si percurris, omnes penè delirare, tamq; monstrosa de animâ evomere cernes. (Artem præsertim in singulis de animâ, & ad eam pertinentibus operibus, singulis in capitibus ac textibus, quem tamen omnes illi imitari summoperè allaborant, ejusq; scripta, quasi aberrare à vero non potuisset, Evangelii instar exosculantur, piaculum existimantes, si quis ab eo recessum faciat,) ac si non sit substantia simplex, sed realissimè composita; Non corporis animati principium & forma, sed crassissimâ, densissimâq; constet materiâ.

16. Demonstrare hoc haud opus esset, quandoquidem nemo, nisi in illorum scriptis planè hospes sit, aut in eorundem verba juraverit, id ipsum inficias ire possit: Paucula tamen, præsertim, quæ vulgò recepta sunt, in medium afferam, quibus, quod Physicè animam componant, quodq; horrendum monstrum eandem faciant, contradicis, quantum fieri poterit, velis, ὁφθαλμοφανέως probatum dabo.

17. PRIMUS error in animæ simplicitatem ab his committitur, qui animas vegetativam, sensitivam & rationalem (uti loqui solent) in homine succedere putant, ita, ut imperfectus adhuc, & omnibus membris nondum absolutus, primò habeat animam vegetantem, deindè sensitivam, quas à generante produci, & unâ cū corpore interire opinantur, tandem rationalem, quam à Deo creatam extrinsecus corpori infundi & incorruptibilem esse existimant, quod prolixe & innumeris testimoniis confirmari posset, si necessitas id ipsum exigeret.

18. Hi omnes Physicè animam componunt. Affirmare enim sine magnâ absurditate non possunt, unâ animâ accedente, perire alteram. Sic enim ipse periret homo. *Deletâ primâ*, inquit Scaliger, *fœtus morietur; Rursusq; nascetur in secundâ. Quâ destructâ rursus miser peribit, tertioq; orietur in postremâ.* Exerc. 29 o. s. 2. Nec ipsi volunt animam vegetativam ac sensitivam ab animâ rationali manere distinctas. Rectè enim statuunt, hominem unam tantùm habere animam, quamvis ita loqui consueverint, ac si non una, sed plures inessent uni homini anime, dum facultates vegetativam & sensitivam, quas realiter tùm ab animâ, tùm à se ipsis differe putant, animas ipsas appellant, ubi tamen intermentem illorum, quæ sana est, & verba, quæ mala sunt, est distinguendû. Nec anima vegetativa & sensitiva in rationalem transmutari possunt, sic enim essent materiata. Concedendum igitur, secundùm illos, animas illas tres in unam coalescere, quo ipso animam, non tantùm ens compositum, sed etiam completum esse evidenter concluditur. Non enim omnes possunt esse ἐπιτελείαι & actus, sed una illarum saltem rationem δύναμις habeat necessum est. Nam non ex duobus (ergò neq; ex tribus) actibus, sed ex duobus actu unum fit actu, Scal. Ex. 6. s. 5. Id ipsum autem est ens completum, quod suam habet δύναμις atque actum.

19. Huic errori, à quo meritò non secus tanquam à scopulo refugimus, animæ opponimus simplicitatem, nullam successionem & divisionem admittentem. Opponimus Scripturæ S. auctoritatem talia, quæ non nisi homini attribui possunt, fœtui in utero materno existere incipienti assignantem, quæ omnia neganda essent, admissâ illâ animarum successionem. Ex hac enim sequitur, fœtum animal esse irrationale, usq; dum membra & articuli corporis integrè ac perfectè formati & delineati sint, fœtusq; absolutam, & exactam formam



mam assequutus fuerit, quod quidam fieri existimant in maribus die à conceptione 26. alii 30. alii 35. alii 40. alii 42. alii 45. alii 48. alii 50. &c. In fœmellis quidam die 50, quidam 80, &c. Tum enim animam intellectivam accedere & fœtum antea irrationalem, nescio quâ μεταμορφώσει rationalem fieri existimant.

20. Huic errori adjungimus alium, vulgarem quidem, ast intolerabilem, eorum sc. qui scribere haud erubescunt, animam vegetativam ac sensitivam esse divisibiles; rationalem autem indivisibilem. Illarum facultates esse corporeas ac materiales; hujus incorporeas & spirituales. Animam vegetantem & sentientem esse corruptibiles; rationalem incorruptibilem. Illas esse formam corporis: non autem hanc. Intellectivas facultates esse logicas: sensitivas autem & vegetativas irrationales, s. partem brutam animæ, sicut Plutarchus illas vocat, Lib. 2. de virt: morali. Et quidem sensitivas privativè esse αλόγους, quod licet essentialiter tales sint, aliquo tamen modo rationis participes fieri possint. Vegetativas autem negativè, quod cum ratione nihil habeant commune. Plura qui desiderat, librum Plutarchi de virt: mor: perolvat, in eo, tanquam in ideâ communes illos errores deprehendet.

21. Ἄπειτα hæc sunt, in ὁσίων ἀπὸ πάντων quavis proscriptioe digna, à quibus non magis atq; ab equo Trojano aut quovis veneno nobis cavebimus. Inconfesso enim est, unam tantum in homine esse animam, à suo primario, hominesq; à brutis distinguente actu, rationalem dictam. Hæc corpus vegetat, nutrit, alimenta attrahit, concoquit, excrementa expellit, incrementa dat, per hanc homo generat, cognoscit, intelligit, & ut uno verbo dicam, hæc formaliter est vegetativa, formaliter sensitiva. Unde cæcos vel surdos sagacioris intelligentiæ & memoriæ tenacioris esse comprehendimus (cujus nulla dari ratio posset, nisi per animam rationalem sentiremus) idèd, quòd anima per oculos vel aures in plurium contemplatione aut auditione non distracta, in rem sibi oblatam sit intentior. Propterea etiam scriptura sacra ea, quæ non nisi animæ vegetativæ ac sensitivæ à Philosophis attribui solent, animæ rationali ascribit. Et nisi rationalis anima esset ipsa vegetativa ac sensitiva, sequeretur eam in multis infantibus, in quibus ob instrumentorum inhabilitatem munia sua nondum obere potest, tam diu esse otiosam, donec corpus illorum

lorum magis aptum & perfectum redderetur. In aliis, qui, antequam rationis usum consequuntur, decedunt, esse frustra, cum in illis finem ac scopum suum non attingat. Quæ omnia effugimus, si animam rationalem formaliter esse sensitivam ac vegetativam asserimus. Hanc enim, ob varia injecta impedimenta, non omnes suas operationes semper exerere, absq; ullo absurdo & veritatis periculo concedere possumus.

22. At ex istis contradictoriis ac toto genere differentibus substantialibus, quæ ne in Physico quidem corpore, nedum in unâ ac indivisibili essentiâ consistere possunt, multò magis animarum in uno individuo multiplicatio, quàm unius compositio sequitur. Verum enim est illud Logicum: Opposita de uno numero, eodemque subiecto prædicari non posse, sed eorum uno posito, alterum esse removendum, uno remoto, alterum esse ponendum. Opposita autem sunt, esse corruptibile & esse incorruptibile: Esse divisibile & indivisibile: Esse corporeum & incorporeum: Esse rationale & irrationale. *Non enim tam aquæ ignis contrarius, quàm τὸ λογικὸν τῷ ἀλόγῳ.* Scal. Ex. 307. l. 5. Quapropter horum oppositorum uno de animâ affirmato, alterum negandum, uno negato, alterum affirmandum.

23. Non igitur anima potest esse indivisibilis & divisibilis. Est enim spiritus, qui secari aut dividi nequit: Est ἀμερῆστον ἢ impartibile quid & indivisibile Arist. l. 1. de anima. Ergò indivisibilis est secundum totalitatem suę essentiæ, juxta substantiarum incorporearum naturâ, de quibus quicquid dicitur, de totâ illarum essentiâ dicitur.

24. Neque simul est corporea & incorporea, sed tota incorporea & spiritalis, nisi fortè natura in animâ penitus aberraverit, atq; aliquod monstrum, quod partim corpus, partim spiritus, partim brutum, partim homo produxerit. Nec potentiæ animæ organicæ, id est, quæ per organum exeruntur, sunt corruptibiles. Hæ enim sunt ipsa anima, ut in seqq. ostendemus, quapropter & ipsa corruptibilis esset. Igitur quamvis earum organum destruat, tamen ipsæ incorruptæ manent. Non enim organum est propter actum primum, sed secundum, qui, organo corrupto, cessat.

25. Falsum quoque animam vegetativam ac sensitivam esse formam corporis, non autem rationalem. Sic enim omnes essemus bruta, iudicii & rationis expertia, cum non haberemus formam ab

illis specificè distinctam. Anima enim vegetativa & sensitiva hominis & bruti, secundum illos, non distinguuntur. *Anima rationalis*, dicit Ruvio, *ut sensitiva non distinguitur ab animâ leonis etiam ut sensitivâ. Nec homo & leo, ut sunt animalia, sed sub tali gradu tam animâ, quàm composita sunt ejusdem rationis genericæ*; lib. 2. de pot. in genere q. 8. Append. dub. Quæcunq; autem habent unam specie animam, illa sunt ejusdem speciei. Nec juvat, hominem præter sensitivam ac vegetativam etiam rationalem habere. Hanc enim corpus informare negant. Vide Arist. l. 2. de anima c. 1. lib. 3. t. 5. Ruv. lib. 2. de anima. Tract. de pot. in genere q. 8. & de anima separ. q. 3. Rodolp. Hospinianum in oratione de sedè animæ & alios. Ergò neq; homines ab animalibus irrationabilibus distinguere potest.

26. Falsum etiam animam partim esse irrationalem, partim rationalem. Cum enim sit hominis forma, à quâ suam essentiam ac denominationem accipit, quomodo ab omnibus hæctenus recepta definitio consistere posset, quâ homo definitur esse animal rationale, cum eundem partim rationalem, partim irrationalem, ex hac opinione sequatur? Quod absurdum cum ipsi videant, *Φάρμακα* & emplastra, quibus absurditatem ejus mitigent, quærunt. Casmannus *Ψυχολ.* c. 4. q. 1. dicit sensitivam ac vegetativam vocari *ἀλόγους*, quod homo illas cum *ἀλόγους* & irrationabilibus communes habeat. Alii, esse irrationales ratione *ἐνεργῶν ἢ ἐνεργημάτων*.

27. Sed vana hæc sunt atque irrita. Notum enim ex Physicis, formam specificam operationes formæ generalis coarctare & restringere, ut generales amplius non sint, sed speciales & propriæ. Licet igitur anima hominis eda operationes vegetativas ac sensitivas, atque ita & homo & brutum moveantur, nutriantur, crescant, generent & sentiant, dispari tamen & diverso specie modo. Ille enim modo suæ formæ specificæ convenienti: Hoc suæ formæ proprio. Non igitur hæ operationes in homine communes, sed maximè propriæ sunt, ideoq; illarum principium cum illo, quod brutorum operationum principium est, definitionem nullo modo participat. Hinc Scaliger ait. *Quæ virtus mover cor, quæ mutat in succum cibos, quæ distribuit, quis dicat id agere sine ratione? Sine ratiocinatione quidem, id est, sine inductione argumentorum: Sine ratione non. Adest enim præsens ei finis sine nullo medio, id est, vita ipsa, atq; existentiâ propter quam*  
opera-

operatur. Nam si hæc sine ratione agat: agat & ea, quæ carnem format, atq; figurat. Quod est absurdum & impium. Ex. 307. l. 5.

28. Dicis, si nihil, quod non rationale, in animâ, unde igitur contrariæ illæ propensiones ac inclinationes in homine: Unde lucta illa, quam quilibet in se sentit, dum sæpè ad honesta inclinans, ab illâ dem retrahitur, atque illâ, quæ non vult, agit, quæ vult, non agit. Quemadmodum valde emphaticè Ovid. l. 1. Metam. sub Medæ personâ ad hunc modum queritantis, pugnam istam exprimit:

*Me trahit invitam nova vis, aliudq; libido,*

*Mens aliud suadet, video meliora, proboq;*

*Deteriora sequor.*

Hanc victoriam vicissitudinariam, inquis, non in rationali animâ fingi, nec pugnantem hæc ac planè diversas appetitiones ab illâ tantum oriri posse, sed etiam à sensitivâ, quæ jucunda & sensibus grata solum sectans, rationi, ad quævis bona adhorranti, sese opponat, ac instar membri analytici; (ut cum Arle loquar) in contrariam partem nitatur. Hinc Plato, Zabla tres, Guilielmus Occam scriptor Anglicus & alii, duas animas, rationalem ac sentientem posuerunt, ob contrarios illos appetitus, quos in unâ, eadem ac indivisibili animâ locum habere non posse, arbitrati sunt.

29. Priusquam, quid de hæc dissensione; propensionumquæ *συγγαγί* in homine statuerendum sit, exponamus, aliorum sententias, ut, iis recensitis, ea, quæ de origine hujus concertationis allaturi sumus, plus habeant lucis, plusq; veritatis, breviter percurrere libet. Javellus in Tra&. 1. de animæ indefic. c. 5. in solut. Arg. 5. Petri Pomponatii contra Augusti; Niphum Suessanum. m. p. 50. 51. Timplesus Empf. l. 3. c. 7. propl. 17. Bellarm. Tom. 4. Controvers. de gratia hom. primi c. 5. & seqq. Becan. in Man. Controvers. l. 1. c. 14. de peccat. Orig. q. 1. & alii, Scholasticorum præsertim, statuunt hanc luctam inesse animæ ex suâ naturâ, ut, quatenus sensitiva, naturaliter ad bona corporalia & sensilia feratur, quatenus intellectiva, ad bona spiritualia & intelligibilia. Verum, falsam esse hanc opinionem ex eo, ut alia omittam, satis constat, quod hæc ratione vitiosa lucta hæc animæ naturalis esset, & consequenter Deum, à quo omnia naturalia, ut talia, suum ortum habent, etiam authorem haberet, quod in eum summè blasphemum. Quidam hanc pugnam esse existimant inter car-

nem & spiritum, s. corpus & animam, tanquam partes planè contrarias, quarum altera alteri semper reluctetur. Sed nec hi rem ac tangunt: Immuñem enim faciunt animam à vitiis, corpori nempe illa ascribentes, cum anima primum subiectum sit illorum, & fons iste venenatus, ex quo omnia mala effluunt. Præterea nec satis considerant amicam illam convenientiam, quæ inter animam est & corpus, tanquam formam & materiam, quam planè destruunt, ac Platonico- rum potius errorem stabiliunt, qui animam in corpus, tanquam sepulchrum s. carcerem detrusam, ab eodem captivam detineri statuerunt. Alii hanc pugnam collocant inter appetitum sensitivum & rationalem, tanquam duos distinctos ac diversos appetitus, ita dissidentes, ut vi quadam sæpè rationalis trahatur extra limites & cancellos rationis ab appetitu sensitivo, prout loquitur Tholof. de immort. animæ l. 2. c. 15. Et ille hunc reluctantem ac obliq; incedentem verberare quasi & freno cogat atq; compescat, quemadmodum Plutarchus de virt. mor. scribit. Id quod Plato elaturus, jumenta animi inter se contendere, solitus fuit dicere, attestante eodem Plutarcho d. l. Verū & hæc opinio est erronea. Sic enim contrarii hi motus simul esse, homoq; simul rem aliquam secundum appetitum sensitivum appetere, & eandem secundum intellectualem averfari possit, cujus contrarium omnes, qui pugna huic obnoxii sunt, experiuntur. Non enim homo eodem momento, (quamvis illi motus admodum subiti sint & veloces,) quo objectum ipsi amabile visum appetit, id simul averfatur; Sic enim illud non appeteret, sed fit hoc successivè & disjunctim, ut prius appetat, post contra honestatem hanc suam appetitionem esse perpendens, eadem damnet 2. S. Scriptura huic scholasticorum figmento, quod sc. inferiores animæ vires peccati veneno tantum infectæ sint, aperte reclamatur, dum clarè testatur, luem illam pestiferam originalis peccati totam nostram animam tabificasse, quo ipso opinionem illam absurdam de pugna partium inferiorum & superiorum animæ planè enervat & contundit. 3. In animâ, substantiâ illâ simplici, contrarios ac hostiliter inter se continuè pugnantem collocare appetitus, prodigosè absurdum est, in quam absurditatem sese, nullo necessitatis telo urgente, temerè conjiciunt: Fieri enim potest, ut contrarii actus unicum, ex quo permanens, fontem habeant, ideoq; ipsos appetitus multiplicare, & hu-  
jus

jus discordiæ contraria statuminare principia, quorum alterum ra-  
 tionale sit, alterum irrationale, cum à rationali oriri possint, non ne-  
 cessum erat: Nam in ipsis angelis lapsis nullum dubium est, quin  
 talis pugna extiterit, cum à suâ concreatâ justitiâ & sanctitate defece-  
 rint, nec tamen ob eam quædam ἀλογία aut irrationabilitas in illis  
 ponenda: Multò minus necessum in animâ, posito illam hujus μά-  
 χης subjectum esse adæquatum, quicquam, quod rationis expers sit,  
 fingere, ad quod rerum terrenarum ac carnalium concupiscentiæ re-  
 ferantur, cura notum sit, illam, licet originali labe ac tabe miserè in-  
 fecta & contraminata sit, habere tamen adhuc facultatem de rebus  
 sensui subjectis judicandi, honestâq; à turpibus discriminandi, & ita,  
 in quantum priori modo consideratur, ad omnia inhonesta oblecta-  
 menta inclinare, ac pravitatem illam, & ἀταξίαν tum cogitationum,  
 tum actionum humanarum, non ἀλόγωσιν cuidam appetitui, sed ex pro-  
 toplastorum nostrorum lapsu tractæ & nobis congenitæ corruptio-  
 ni esse ascribendam: In quantum posteriori modo spectatur, vir-  
 tuosè vivendum judicare, & sic à se ipsâ dissentire. Potius autem,  
 ne corpus omninò excludamus, totum hominem, animâ & corpore  
 constantem, diffidii istius subjectum totale esse, dicendum est. Licet  
 enim anima illius πρώτον δεκτικόν sit, corpus tamen etiam, cujus sin-  
 gulas fibras ac medullas peccatum intimè pervasit, animam aggra-  
 vat, Sap. 9. 15. spirituumq; qualitas, nec nò ipsorum humorum dispo-  
 sitio & temperatura, quæ animam multifariam afficiant, ad hoc ma-  
 gnum robur & efficaciam conferunt. Quò enim temperamentum  
 æqualius & perfectius, eò magis placidi sunt affectus, quò inæqualius  
 & imperfectius, eò sunt concitatiores & vehementiores. Hinc quos-  
 dam videmus leviores, alios iracundiores, hos tristiores, illos præ a-  
 liis invidios, ignavos & voluptatibus deditos, prout hæc aut illa bilis  
 magis minusvè in illis excedit. Quin & in uno eodemque homine  
 diversis temporibus magna affectuum variatio apparet, ut ob unam,  
 eandemque causam diversimodè commoveatur, quæ variatio & di-  
 versitas ex diversâ etiam dispositione corporis provenit, non diffi-  
 cente id Ru. li. de anima q. 1. Ideò dici solet: Mores plerūq; imitari  
 crasin, crasin verò æstimari juxta dominiū humorum. Et Plurarch.  
 de virt. mor. admodum eleganter: *Impetus concupiscentiæ, inquit,  
 pro modo corporis incitantur ac secundum ejus mutationes vel concita-  
 tiores*

50.

tiores vel languidiores sunt. Et hæc est causa, quod adolescentum cupiditates ob copiam & calorem sanguinis celeres, feroces, ardentis atq; rabida sint. Senibus, quia principium concupiscentiæ circa jecur restin-ctum est ac debilitatum, magis viget ratio, elanguescente unâ cum corpore affectuum capace parte. Et paulò post: Facultates sanguinis, spiritus & corporis discrimina faciunt affectuum: quia pars eorum capax è carne, tanquam radice enascens, qualitatem, propensionemq; talem secum effert. Hominis autem impetibus ab affectu ortis, etiam corpus unâ affici atq; cieri, convincunt pallores, rubores, tremores, saltatio cordis, rursusq; diffusio in expectatione voluptatibus. Hæcille. Consule Javell. Tract. 2. de animæ indef. c. 2. Tract. 3. c. 4. Timpl. lib. 2. Empsych. c. 11. Probl. 5. Galen. in libello, quod animi mores sequantur temperamentum corporis. Hippoc. de aëre, aquis & locis. Levin. Letanium de occ. naturæ mirac. l. 1. c. 12. 16. D. Mart. Pansam itt gûlden Kleyrod menschlicher Gesundheit / cap. 47. & alios medicos. Tantum de primo.

30. SECUNDO errant, & in animæ simplicitatem impingunt Thomistæ, qui potentias ab ipsâ animæ essentiâ realiter differre statuunt. Hi enim omnes illam Physicè, & quidem magis, quàm ipsum corpus componunt, cum hoc tot realiter distinctis particulis non constet, quàm illi fingunt in animâ. Quot enim vident in homine operationes, tot etiam animæ constituunt facultates, ut alia sit, quæ nutriat, alia, quæ augeat, alia, quæ res oblatas percipiat & discernat, alia, quæ eisdem exactius examinet, alia, quâ homo videat, alia, quâ audiat, alia, quâ olfaciat, alia, quâ gustet, alia, quâ tangat, alia, quâ imaginetur, alia, quâ cogitet, alia, quâ recordetur, alia, quâ cupiat, alia, quâ irascatur, alia, quâ ratiocinetur, alia, quâ componat, alia, quâ dividat, &c. Has, & quæ sunt aliæ, omnes potentias (sine ullâ necessitate ita multiplicatas, uti ad oculum demonstrari potest) ab ipsâ anima & inter se realiter differentes, id est, essentias distinctas habentes, cogitemus in anima uniri, & maximè compositam eam, seu, ut Scal. loquitur, unum, quasi cumulûm partibus coagmentatis ex eadem faciemus.

31. Ast, quis hanc animæ compositionem cum ejusdem simplicitate, quæ ipsi directè opponitur, conciliabit? Si enim ex Metaphysicis quæras, quidnâ sit esse simplex? Respondent, simplex esse id, quod

quod summè unum est. Si pergas: Quidnam summè unum? Audies, quod divisionem nec actu habet, nec etiam tale est, ut illam admittere possit, ut quocumque modo fiat multiplex. Cum igitur anima sit essentia simplex, ergò summè una est, & consequenter indivisibilis tam actu, quàm potentiâ, ideòq; non multas cellulas, in quibus facultates insint, in illâ fingere debemus, nec ipsa anima, & ejusdem potentiæ possant esse res diversæ, & secundum essentiam distinctæ, (sicut tò realiter differre Zabla de fac. animæ c. 2. explicat) aliàs non maneret una, nec indivisibilis, quamvis indivisa, sed totuplex divisibilis, quotuplices haberet facultates.

32. Ut igitur animæ simplicitatem salvam tueamur, omninò statuendum, potentias cum ipsâ animæ entitate simpliciter converti, nec sese habere, ut res à se invicem realiter distinctas, sed animam, pro actionum diversitate, diversis insigniti nominibus, ut anima dicatur, quum corpus animat, vitâq; imbuat: *Animus dum vult: Mens, dum scientiâ ornata est, ac judicandi peritiâ exercet: Memoria, dum recollit, ac reminiscitur: Ratio, dum ratiocinatur ac singula discernit: Spiritus, dum contemplationi insistit: Sensus, dum sentiendi vim obtinet: Lev. Lemn. de Occ. naturæ mir. Lib. i. c. ii. August. in lib. de spir. & anima. Vide Greg. Reisch. Marg. Phil. l. ii. c. 14. Adde Scalig. Ex 307. f. 15. &c.*

33. Sententiam hanc inter alia exindè probamus, quòd homo pluribus simul intentus esse nequeat. Fit enim, ut, si profundis cogitationibus & speculationibus deditus sit, reliqui omnes sensus interni, exteriq; ob applicationem animæ in rem aliam intentiorem, feriantur, sonus in ejus aurib. non illabatur, objecta visibilia oblata, & cum oculo unita, non recipiat, odoribus non afficiatur, ideò, quòd anima aliorum distracta, ad sensilia hæc non concurrat. Hinc eleganter Scal. *Sapientes, inquit, à sensibus ad intellectus intima penetrantia abducti, multa delata sub oculos non vident.* Ex. 307. f. 5. Clarissimum hujus rei testimonium nobis præbet Plutarchus de Archimede referens, eum, in contemplandis lineamentis cogitatione ac oculis simul intentum, cum Marcellus Syraculas expugnasset, urbem captam non sensitse, Romanos victores tumultuantes non animadvertisse. At, si Thomistarum sententia vera esset, Archimedes facultatibus sensitivis militum discurrentium, mactantium, vociferantium ac  
C urbem



urbem diripientium tumultus percipere, nihilominus contemplationibus incumbere potuisset.

34. Ipse etiam Arist. quem pro se Thomas adducit, à partibus nostris stat. Definit enim animam, quod sit principium, quo vivimus, sentimus, movemur & intelligimus, quo ipso asserit actus illos secundos, nempe vegetationem, tensionem, motum, &c. ab ipsâ provenire animâ. Si autem etiam à facultatibus illos fluere affirmabimus, duo diversa principia illorum faciemus, & entia sine ulla necessitate multiplicabimus, contra naturâ, quæ ab omni superfluo abhorret, consuetudinem. Nec est, ut regeas, actiones à potentiis, ut causa instrumentali orti, nam ipsi illas vocant causam principalem, vide Keckerm. Syst. Phyl. lib. 3. c. 12. c. 16. lib. 4. c. 4. neq; ullo modo animæ instrumenta dici possunt, quemadmodum in conflictu firmiter demonstrabimus.

35. Hircum igitur mulgent Thomistæ, & qui cum illis faciunt, disputantes: *Utrum potentia, separata ab anima, possit uniri subjecto extraneo per potentiam Dei absolutam? An potentia separata ab anima existat per modum perfectæ et superadditæ, vel per solam actualem existentiam propriam, cum negatione actualis inherentiæ? An separata ab anima sit in statu naturalis aut violento?* Cum nullo modo abstrahi aut separari possint. Concipe enim facultates & ipsam concipies animam. Abstrahere animam à facultatibus, & rem inimaginabilem facies, dum idem à se ipso abstrahere conaberis.

36. Quapropter ἀτόπως hæ facultates vocantur animæ accidentia. Cum enim omne accidens habeat essentiam à suo subjecto separabilem, & ex consequenti non ipsum sit subjectum, idè facultates animæ ejusdem accidentia nominari nequeunt, idè quod simpliciter sint unum quoddam τὸν τὸ. Deindè, si essent accidentia animæ, aut essent propria aut communia. Non hæc, quia indeterminatè essent ad subjecta specificè distincta. Non illa. Propria enim ex subjecto suo, tanquam principio essentiali fluunt; Animam autem esse productivam suarum potentiarum Thomistæ negant, statuentes ab eodem agente esse rem, & rei proprietatem. Undè, cum animam à Deo creati putent, potentias etiam ab eodem esse colligunt. De quo videantur Javellus, Ruvio, Conimbricenses & alii.

37. Similiter ἀλόγως à plerisque Philosophorum, Aristotelem in hoc

in hoc, ne ab ipso recedere videantur, imitantium, potentia hæ animæ partes vocantur, id quod illi ipsi impugnat, quotiescunq; i. animã vocant actum s. essentiam simplicem. Hoc enim ipso eam partes habere negant, cum contradictoria sint, esse simplicem, h. e. nullis constare partibus, & constare partibus. 2. quotiescunq; facultates illas vocant animæ accidentia, cum accidens non sit pars sui subiecti. Arist. 1. Cat. §. 2. 3. quotiescunq; illas, ut effecta ab animã fluere dicunt. Sic enim animã erunt posteriores, quã priores esse debebant, si ejusdem essent partes.

38. TERTIO, ex superius dictis, liquidò constat, illos etiam impingere, qui animæ nobilissimæ, ac si substantia esset corporea, quæ certo loco includi posset, varias in corpore, quas inhabitaret, sedes attribuerunt. Platonẽ, qui tres animas, realiter distinctas, in homine statuit, unicuiq; propriam sedem, logistica nim. cerebrum, irascibili cor, concupiscibili hepate assignasse constat. Galenus, Hippocrates, quos pleriq; medicorum sequuntur, in capite eandem locarunt: Alii in ejusdem vertice: Alii in superciliorum meditullio: Alii in cerebri membranulis: Quidam in toto pectore: Quidam in stomacho: Multi in cordis meditullio: Alii in spiritibus circa cor. Hi omnes animam, quod ad virtutem & efficaciam, non substantiam, toti corpori præsentem esse putaverunt, quomodo sol in cælo constitutus omnibus terrarum locis præsens est, quatenus in illa suos spargit radios.

39. Thomistæ et si animam totum informare corpus, inq; ejus singulis partibus totã esse fateantur, attamen *ἑσλόν* u foveat. Cuilibet n. facultati peculiarem provinciam assignant, v. g. Appetitui rationali cerebrum: Irrationali hepate: Cogitandi facultati cerebrum quidam, alii cor: Potentiis ridendi diaphragma: Ratiocinandi & intelligendi caput: Imaginandi cerebrum: Irascendi præcordia & c. Et hæc quidem exclusivè, ut illa facultas, quæ in hæc parte corporis, non etiam sit in aliã. Hinc negat Aristoteles phantasiam & appetitum esse in nutriente. Et Javellus hæc de re ira scribit: *Anima non est tota in omni parte corporis totalitate potestativa: Cum enim diversa potentia animæ requirant diversa organa & diversam complexionem in organis, ubi est anima secundum visum, putat in pupillã, non est secundum auditum.* Lib. 3. de anima q. 6. lib. 2. q. 10. & Comm. 2. in lib. de causis Pro-

50

pos. 28. in fine. Licet immateriales potentia, quæ anima intellectiva in-  
 herent, ut intellectus & voluntas sint in quavis parte corporis sicut & ipsa  
 anima. Alia tamen vires, nempe organice, non ita se habent, sed, paucis  
 exceptis, ut facultate nutritiva, quæ per totum corpus fusa est, pleraque  
 omnes sedibus discluse & distincte sunt. Itaq; anima, ex gr. secundû aspe-  
 ctum in oculis, secundum auditum in auribus, secundum phantasmam in  
 cerebro insidet, &c. Conimb, lib. 2. de anima c. 1. q. 9. Art. 2. & c. 3. q. 4.  
 Art. 2. Assentitur Ruv. de pot. animæ veget. q. 3. & de pot. in genere.

40. Verum, si hoc modo anima per totum corpus expansa ef-  
 fet, ut id, quod v.g. in capite, tantum in capite, non etiam in reliquis  
 corporis partibus, ad extensionem corporis verè esset extensa, & ita  
 partibus constaret divisibilibus, corporeq; crescente, ipsa accresce-  
 ret, quod ei tamen, cum non sit quædam stammula tenuis per cor-  
 pus volitans, aut alia moles corporea, sed spiritualis essentia, simpli-  
 citer repugnat.

41. Nam natura substantiarum immaterialiû hæc est, ut, ubi-  
 cunq; existunt, totæ existant, nec majores evadant, si majus spacium,  
 nec minores, si minus occupent, quod exemplo Angeli patet, qui  
 quaecunq; sibi definiat spacium, totus in singulis spacii illius parti-  
 bus est. Partes enim non habet, ergò nec secundum eas in spacii par-  
 tibus esse potest. Sic Deus toti mundo, ejusq; singulis particulis in-  
 timè ac præsentissimè adest, nec tamen per essentia extensionem aut  
 divisionem. Quin si adhuc centum mundos Deus produceret, omni-  
 bus illis, illorumq; partibus quibuslibet ac minimis verè & essentia-  
 liter adest, nec tamen extenderetur, aut major fieret: Siq; centum  
 hi mundi, per potentiam Dei ad punctis *divorim* redigerentur, Deus  
 ille imensus ac infinitus, qui antea totus in pluribus mundis exi-  
 terat, in minimo hoc puncto totus esset, nec tamen decrederet, aut  
 conglomeraretur. Ad eundem modum anima non fit major, cre-  
 scente homine, nec minor, quando, eodem agonizante, externa ejus  
 corporis membra, quæ frigida & emortua sunt, non amplius vivifi-  
 cat. In causâ est ejus summa simplicitas, quæ ut omnem negat ma-  
 teriam, sic omnem quantitatem, ut omnem quantitatem, ita omnem  
 etiam extensionem & contractionem.

42. Probamus hoc ex sacris literis, quæ integram Diabolo-  
 rum legionem unam animam inhabitasse Marc. 8. testatur. Unde  
 simplici-

simplicitatem spirituum summam esse oportet. Anima enim aded est simplex, ut, Metaphysicis assentientibus, illarum etiam centum in uno puncto existere possint; Attamen S. Scripturâ attestante, in unicâ animulâ aliquot spirituum millia habitare possunt. Propterea sanè nullam extensionem in spiritibus, qualis etiam anima est, fingere debemus, quomodo aliàs centum in puncto minimo existere, & rursus in uno spiritu aliquot spirituum millia habitare possent?

43. Licet igitur anima informet corpus extensum, ipsa tamen inextensa manet, licet insit multis partibus, ipsa tamen nec multiplicatur, nec partitur, sed ubi ubi est, tota est, ubi operatur, tota operatur, non tamen indeterminatè simul & ubi vis omnes operationes exercet, neq; enim corpore tanquã gladio Delphico utitur, sed quod instrumētū natura huic operationi attribuit, per id etiã eã edit. Quo fit, ut per oculum, veluti à naturâ ad visionē ordinatum instrumentum, videat, haud per aurem, non ac si facultas visiva tantum sit in oculo, ut in sede suâ, prout Peripatetici loquantur, & non etiã in aure, sed quia hæc ad videndum non est destinata. Quemadmodum, ut hoc qualicumq; simili declarerem, si quis fistulas quasdam, quæ diversam cavitatem habeant, arctè colligatas inflat, diversum illæ edunt sonum, quæ diversitas non ab ipso spiritu, aut ab aulædo, hic enim in omnes unum inflat spiritum, sed à fistularum diversâ capacitare & dispositione provenit: Sic anima pro organorum diversâ natura & dispositione diversimodè operatur. Quod si visus organum in aliâ parte corporis inveniretur, ut vel in thorace, vel in dorso aut pede, & ibidem potentia visiva suum exequeretur munus, ut in monstris videndum, quod manifestum indicium est, illam non in determinatâ parte, sed in toto corpore esse. Aliàs, etiam si totus thorax, aut totum dorsum oculus esset, nunquam tamen ibi visio fieret. Hinc scitè Scal. *Quid dico tibi inquit, intellectum etiam esse in pedibus: Una enim in nobis anima suis omnibus undiq; stipata potestatibus, nempe essenti alibus sibi. Ubi vero instrumenta sunt, ibi exercere altam suam ipsam potestatem. Si enim oculus esset in digito, videret digitus per oculum, nullâ accitâ à cerebro potentia.* Exerc. 307. f. 37. Et cum facultates sint ipsa anima; hæc autem in corpore non sit partitim, per se manifestum est, illam eas operationes, quas ex. gr per caput exerit, etiam in aliis corporis partibus exercere posse, si organa accommodata & disposita in illis invenirentur.

44. Confirmat hoc August. lib. con. Epist. fund. c. 16. *Singulis sui corporis partibus tota praesto est, cum tota sentit in singulis, atq; ita in singulis distantibus locis tota simul adest non unum deferens, ut in altero tota sit, neq; ita utrumq; tenens, ut aliam partem hic habeat, & alibi aliam, sed sufficiens se exhibere singulis locis totam, quoniam tota sentit in singulis satis ostendit, se locorum spatium non teneri.* Et Nyssenus, quando dicit: *Anima cum sit incorporea & loco non circumscripta tota per totum meat corpus, & non est, in quo non adfit tota.* Lib. 2. de anima cap. 11.

45. Non igitur audiendus Vorstius, qui lib. de attrib. div. p. 241. scribere non veretur, *animam virtualiter & nat' ενεργεια per totum corpus esse diffusam, ratione autē essentiae certo loco, vel in cerebro vel corde contineri.* Nec Timplerus dicens: *Falsum est quod anima, sicut est tota in toto corpore, ita etiam tota sit in qualibet parte corporis, Licet enim multi Philosophi & Theologi id statuunt: Tamen non video, ab illis id esse probatum.* Et cum ex illa opinione πολυτομίας absurditas sequatur, merito à nobis rejicitur. Lib. 2. Met. c. 5. q. 6. Et alibi: *Cum anima secundum suam substantiam existat in corpore organico, & quamdiu cum eo manet unita, alibi neq; existat, neq; operetur, necesse est, ut concedamus illam in corpore organico, tanquam locatum in loco esse.* Lib. 1. Empsych. c. 1. prob. 11. Quibus annumerandus Hippicus qui etiā in Problem. suis Physicis 44. & 45. negat animam esse totam in qualibet parte corporis, sed per illud diffusam ac extensam, ut radius illuminans aërem ad ejus extensionē extenditur, & ratione illius in partes dividuus est.

46. Nec sequitur, ut Vorstius d. l. putat: Si anima tota est in capite, tota in pedibus, illam extrā seipsam esse, cum caput & pedes à se invicem distent. Non enim anima est substantia corporea, quæ in corpore sit circumscriptivè, sed incorporea, quæ etsi in multis ubi totaliter, non tamen extrā seipsam est. Ex. gr. Deus etsi hic Marpurgi totus est, & alibi totus, non tamen extrā seipsum est, quia ὅλος ὅλον est, ideoq; nec sequitur, animā extrā se poni, licet sit in partibus extrā se positis, sed esse eandem in partibus, quarum una sit extrā alteram.

47. Neq; Timpleri, πολυτομίας objicientis, ratio tam firma, ad quam debellandam multæ copiae adducendæ sint. Nam 1. πολυτομία nihil absurdi infert. Possè enim unum corpus per omnipotentiam divinam in pluribus existere locis, piè, S. Scripturâ id approbante,


bante, credimus. 2. Negamus autem illam ex nostrâ sententiâ sequi. Locus enim propria affectio corporis est. Ergo anima in corpore nō existit, ut locatum in suo loco. E. nec in multis existens corporis partibus, in multis locis est. Est autem in corpore, ut in aliquo ubi. Sicut igitur in uno tantum corpore est, non in multis, sic etiam in uno tantum ubi. Nam partes corporis non multa faciunt ubi, sed, ut unum constituunt corpus, sic unum ubi ipsi animæ adæquatum, quæ eademmodum illæ partes, in quibus locus est divisibilis, non multa constituunt loca, sed unum tantum corpori adæquatum, nisi ipse Timplerus *πρωτοπλαν* corporis concedere velit. Rectè itaq; Keckerm. *Cum anima, inquit, in corpore non sit, ut in loco, neq; in multis existens corporis partibus, in multis erit locis.* Lib. 3. Syst. Phys. c. 9.

48. ULTIMO hallucinantur & in animæ simplicitatem peccant, quicumq; immortalitatem ejus negant, ut fuerunt Sadducæi, Stoici, Protagoras, Democritus, Epicurus, Panætius, Soranus, Lucretius, Plinius & alii, quibus Timplerus accensendus, qui inficitur, animas rationales naturâ esse immortales ac incorruptibiles, sed Deum ex gratiâ tantum illis hoc privilegium concessisse, ut actu nunquâ moriantur. Lib. 4. Met. c. 4. q. 18. & 1. 3, Empsych. c. 1. probl. 3. 2. dicit animam rationalem esse corruptibilem, hoc est, potentiam passivam in se habere, quâ possit corrumpi seu destrui. Conf. Scheibl. de anima. part. 3. disp. 3. thes. 6. 9.

49. Hi omnes ex suprâ dictis facillimè refutantur. Si enim anima est essentia simplex & spiritualis, nullam admittit resolutionem. Si nullam resolutionem. Ergo nulla habet principia. Si nulla principia. Ergo nec corruptionis principium, quæ qualitatum pugna est, in animâ locum habet, cum expers sit omnis compositionis Physicæ, quæ, ut Nazianz. Orat. de Theol. dicit, *omnis pugna initium est, pugna dissidii, dissidium interitus.* Negatâ verò causâ intrinsecâ mortalitatis ac corruptionis, rectè ipsa negatur mortalitas.

50. Notandum autem, etiam si anima *φύσις* sit inconsumptibilis ac indefectibilis, nihilominus habere essentiam mutabilem, Licet enim mutari nequeat mutatione, quæ fit per corruptionem physicam, annihilari tamen potest; Non, ac si hujus annihilationis potentiam passivam ac internam in se habeat, sed quod, sicuti in suo esse ab alio superiore ente, nempe à Deo dependet, sic etiam ab eodem

dem per potentiam, non ordinariam, quippe, quæ ipsius animæ naturam respicit, sed absolutam, si nempe fluxum suum sitat, ad nihilum redigi possit. Plura hinc addi possent, verum, ne justò poliores simus, filum abruptimus, Deoq; omnium bonorum largitori gratias, quas animo concipere possumus, cantamus maximas.




## COROLLARIA.

**D**EVUS maximè est intelligibilis.  
*Res omnes perfectè cognosci posse impossibile est.*  
*Peccatum originis non tantum est privatio simplex, sed & habitualis.*  
*Ignis in fornace Babylonicâ non amisit facultatem urendi.*  
*Homo non constat ex 4. Elementis.*  
*Piscis propriè dictus habet carnem.*  
*Dari aquas supra cælestes, S. Scriptura approbat.*  
*Diabolus etiam est in cælo.*  
*Eclipsis in passione Iesu Christi penitus fuit miraculosa.*  
*Status Imperii Rom. hodierni est Monarchicus.*


752


F I N I S.






















5  
IV.

**ca genus non est ars nec prudentia.**

ut prolixi sumus, nulla flagitat nece sitas: unico igr  
ur: quicumq; habitus philosophicus non est practi-  
ca vitia & virtutes, circa contingentia, circa ea quæ  
adunt, illius quoq; genus esse nequit. Atqui Meta-  
phis habitus Erg. genus ejus prudentia esse nequit.  
t prudentiæ propria indoles, uti minorem ipsius  
a, quæ est mera theoretica seu speculativa. De arte  
dam movere ausi sunt, quibus opponimus hanc ar-  
ti non competit definitio artis, illius genus ars esse  
ysicæ non competit definitio Artis. Erg. Major  
tio generis competit speciei generi subjectæ, quia  
eò est corpus animatum sensu præditum. Minor  
one artis. Ars, inqt. Philosophus 6. Ethic. est habi-  
tfectivus: hoc a. de Metaphysica nemo sanæ men-  
theor. transe. disp. 1. th. 28. p. 10. quia habitus pra-  
yfica, quomodo ars erit? Cum omnis ars sit habi-  
es habitus practici: Forlan species alicui compe-  
genus illius speciei? quod ego non crediderim,  
omo sit & non animal. Hac ille. Artem contem-  
m Mart. part Metaph. l. 1. q. 2. f. 1. & Scharf. theor.  
p. 20. proclamamus σιδυρόζυλον. Nec juvat eum  
io, quam ex Luciano suo accurato illo definitore  
quæ quam perfecta & accurata sit, videatur Exc.  
b. 1. art. 3. f. 3. p. 10. Scheibl. Met. l. 1. c. 1. art. 2. n.  
p. 7. l. 1. quest. 1. & alii.

V.

**ca genus non est intelligentia.**

usio non aded sit apud Dd. Metaph. controver-  
a brevis ero: sicuti a. de scientia strictè ita dicta  
lided non possit esse genus Metaphysicæ, quia  
siones: ita nunc de intellectu dicimus, quod hic  
æ constituere nequeat, quia præcisè Principia  
mentum. Qui habitus in nudis acquiescit Prin-  
a. esse nequit. Ast intelligentia talis est. Erg. Ma-  
A 3 jor